

*Ego vicem illi non rependam, Capello Episcopus respondet, ne simili culpa me obstringam, & λοιδορίας crimine, coelestis haereditatis meae spem polluam. Christianus dignior est, quam ut tam ignobili vindictae genere pro innocentia sua pugnet. Aliis animis, aliis armis, opus est, ut Christo, Domino suo, serviat, & proximum suum servet.*

Instrumenta saepe perditissimi belli, novi pacis conciliatores fiunt, quod Gersonis, Reihingii, qui captum exiverant servatorem, stupentium Christianos in circo, leonum, spiculatorum item, quibus ferienda Christiani colla dabant, exemplis, doceri copiose poterat. Deo itaque sic veniente ex machina, placide se gerunt depugnantes, ipsiusque coetus militantis cernitur tranquillitas.

Vetera imprimis non resuscitant, quotquot Ecclesiae quieti student, nisi infruniti ingenii homines ea studiose reducant, omnemque adeo scenam, cuius facile oblivisceremur, de novo instruant. Quae antea scripta sunt utrinque, iudicant, quibus facta ad iudicandum mens est, προσωπολατρείαν vero committunt, quotquot unius intenti exemplo huius & doctrinae & moribus omnia conformari, idemque cum illo & dici & adornari in Ecclesia cupiunt. Tegimus hic vulnera, pio coetui hinc, a triginta & amplius his annis inflicta, sat proeliorum fuerat. Ast nimium in-

in-